

De

PURGATORIO

PONTIFICIO,

Putidissimam vanitatem; & tetram hujus com-
menti abominationem breviter ostendens,

*Quam**Divinâ auxiliante gratiâ,*

Autoritate & consensu admodum Reverendi
& Amplissimi Collegij Theologici in cele-
berrimâ Academiâ Lipsiensi

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Amplissimi, & Excel-
lentissimi Viri*

Dn. HEINRICI HÖPFNERI,

SS. THEOLOGICÆ D. & PROFESSORIS PU-

Blici, alumnorum Electoralium Ephori, & Amplissimæ
Facultatis Theologicæ p. t. DECANI, &c. Domini Præce-
ptoris & Promotoris sui ætatem observandi,

Pro acceptâ antehac primâ in SS. Theologiâ laureâ

Publicæ disquisitioni ad diem 7. Septemb.

Subjicit

M. PAULUS MENIUS MISNENSIS, designatus
Pastor, & Superintendens Bischoffverdenfis.

Lipsiæ, Anno Domini 1626.

Impensis Zachariæ Schüreri, & Matthiæ Götzij Bibliop.

Excudebat Gregorius Ritsch.

TMd 102

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

PURGATORIO

PONTIFICIO

THEOLOGICAE FACULTATIS ACADEMIAE

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

DE

THEOLOGICAE FACULTATIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

FERDINANDI HÖFFNERI

THEOLOGICAE FACULTATIS ACADEMIAE

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS





IN NOMINE JESU.

Thesis 1.



Sacrificium Missæ, quod religionis Pontificiæ caput, totius Papatus animam, cor, firmamentum, ac fulcrum esse, ipsi Pontificij faterentur, B. Lutherus non immeritò caudam Draconis appellavit, parte secundâ articuloꝝ Smalcaldicorum art. 2.

Thesis 2.

Nam quemadmodum Draco iste Apocalypticus caudâ suâ tertiam stellarum cœli partem traheret, Apoc. 12. 4. ita infernalis Draco, serpens antiquus, qui vocatur Satanus, vermiculatâ suâ caudâ missæ Papisticæ, quâ plurimas abominations & idololatrias secû in Ecclesiam Christi traxit, quas omnes pro cœlestibus & divinis dogmatibus vendit.

Thesis 3.

Harum abominationum B. Lutherus sex recenset dicto loco, quæ singulæ novos fidei Papisticæ articulos, novos Papisticæ missæ sterculos, & emblemata constituunt, & inter illa Βδελυγµατα primum locum tenet purgatorium, quod similiter non postrema regni Pontificij columna est.

Th. 4.

Imò purgatorium est ignis ille sacer, qui hætenus culinas monachorum, & reliquorum Sacrificulorum tam splendide calefecit, fundos & redditus eorum tantoperè amplificavit, crumenas totius mundi (ut D. Chemnitius loquitur) expurgavit, idq; etiamnum ubertim præstat, non

diffitente id ipso Salmerone, qui inter salutare purgatorij effectus numerat quoq; amplificationem cultus Dei ex legatis, quæ pro Ecclesiæ sacellis instituuntur.

Thesis 5.

Unde etiam videmus, quomodo cinifiones Jesuitæ ignem hunc fictitium hodieq; omni studio conentur alere, & postquam à Megalandro Luthero in favillas & cineres est redactus, plenis buccis vicissim exuscitare allaborent.

Thes. 6.

Ipse ordinis Jesuitici antesignanus Bellarminus in duobus integris libris tantâ contentione pro eo pugnat, ut constanter asserat, lib. 1. de purgatorio c. 15. purgatorium esse dogma fidei, adeo, ut, qui non credit, purgatorium esse, ille nunquam sit ad illud perventurus, verum in gebennâ, sempiterno incendio cruciandus.

Thes. 7.

Et Conciliabulum Tridentinum severè præcipit Episcopis, ut doctrinam de Purgatorio, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubiq; prædicari diligenter studeant: Quo ipso evincere vult, purgatorium ad fidem catholicam pertinere, & articulum fidei Christianæ non postremum esse.

Thes. 8.

Opera proin precium est, purgatorium hoc penitius considerare, & quid veritatis, vel falsitatis, atq; abominationis ei insit, prælucente verbi divini lucernâ, ostendere, id quod hac vice faciemus.

Thes. 9.

Totam autem tractationem, juxta præceptum Nazianzeni, τὰς τριῶν ἀδελφῶν, sequentibus membris includemus:

1. Præmissâ definitione nominis & rei, statum controversiæ formabimus.

2. ὀρθοδοξίαν nostram negativam confirmabimus.

3. Fun-

3. Fundamenta aduersariorum fabulosa paucis
dispiciemus.

*Tu verò Domine Jesu Christe, qui es α & ω, Apoc. 1. 8.
tuam largire nobis gratiam, ut ad sanctissimi tui nominis
gloriam cedat nostrum inceptum, Amen.*

MEMBRUM I.

Thef. 10.

*Purgatorium à purgando derivari, ipse vocis sonus
palàm arguit: Fit autem triplicis potissimum purgationis
mentio in scripturâ sacrâ.*

Thef. 11.

*Una est naturalis, quæ sordes, vel membrorum, vel
vestium, vel vasorum, vel aliarum rerum abluat, abstergit,
& aufert aquâ, vel aliis modis & mediis, cujus exempla
sunt Gen. 18. v. 4. Lev. 8. 21. 1. Reg. 22. 38. Matth. 6. 17.
Matth. 15. 2. Marc. 7. 4. Job. 13. 5. 1. Pet. 3. 21. & alibi.*

Thef. 12.

*Deinde est purgatio typica & Levitica, quæ in veteri
Testamento immundiciem legalem abstulit sacrificiis, &
lustrationibus, in Novo autem Testamento antiquata &
sublata est, de quâ Lev. 12. Lev. 14. 7. Num. 19. 7. 19. Num.
31. v. 23.*

Thef. 13.

*Deniq; est purgatio spiritualis, quæ purgat conscien-
tiam à mortuis & malis operibus: Eaq; ascribitur pro di-
verso respectu modò merito & sanguini Christi, Heb. 1. 3.
c. 9. 14. 1. Job. 1. 7. modò Spiritui sancto, 1. Cor. 6. 11. modò
salutificæ fidei, Act. 15. 9. modò verbo Dei Mal. 3. 3. Job. 15. 3.
Job. 17. 17. modò baptismo Tit. 3. 5. Eph. 5. 26. modò deniq;
cruci, Ps. 66. 12.*

Th. 14.

*Pontificij verò præter & contra Scripturam voce
Purgatorij duo denotare solent, 1. Medium purgationis,
vel ipsum ignem infernalem, quo animas piorum à corpo-*

ribus discedentes, nec in hac vitâ plenè purgatas, ustulari,
Et sic à peccatis residuis purgari statuunt, ut habiles fiant
ad ingressum in regnum cœlorum, à quo omnia immunda
excluduntur Apoc. 21. v. 27. atq; ita usurpant Canisius, &
Schoppius. Thes. 15.

Huic acceptioni respondet vox Germanica, in Papa-
tu frequentata, dum Purgatorium communiter appellare
solent *das Segfeuer* / à verbo germanico *Segen* / quod ex-
purgare significat. Th. 16.

2. Locum purgationis, ipsi inferno contiguum, flam-
mis ultricibus repletum, & animabus piè defunctorum
perpurgandis destinatum, vocabulo Purgatorij designant:
Atque hoc sensu vox purgatorij communiter accipitur à
Pontificiis, prout ex Bellarmino l. 1. de purgatorio c. 1. Gre-
gorio de Valentia in lib. de purgatorio, Becano in Manuali,
Costero in Enchiridio, & aliis manifestò videre est.

Thes. 17.

Scholastici enim, & hodierni Jesuitæ animas defun-
ctorum in tres classes distribuunt: Primæ classi accensent
animas eorum, qui hinc excedunt in gratiâ Dei constituti,
& ab omni tum culpâ, tum pœnâ planè immunes: Horum
animas, quamprimum è corporibus migrarunt, rectâ in
cœlum evolare tradunt.

Thes. 18.

Ad secundam classem referunt animas eorum, qui sine
fide Christi, & sine pœnitentiâ, in peccato mortali moriun-
tur: Has rectâ ad infernum, unde nulla est redemptio, de-
trudi dicunt: Tertie deniq; classi ascribunt animas eorum,
qui & ipsi quidem in gratiâ Dei constituti, pœnas tamen
nondum exolverunt omnes in hac vitâ, vel etiam minutis
quibusdam venialibus peccatis adhuc obnoxij sunt: Et has
post mortem in purgatorium venire tradunt.

Thes. 19.

Thef. 19.

Purgatorium ergò Pontificiis est locus subterraneus, inferno sive loco damnatorum contiguus, ubi post mortem animæ eorum fidelium, quæ vel adhuc obstricta reatu alicujus pœnæ temporalis, vel etiam cum aliquibus peccatis venialibus, vel cum utroq; ex corpore migraverunt, accessu cœlorum prohibita, & à conspectu Dei remota, (quod vocant pœnam damni) detinentur & cruciantur (quod vocant pœnam sensus) usq; dum plenè expurgata, beatitudinem cœlestem consequi valeant.

Thef. 20.

Hanc verò purificationem peragi somniant igne quodam subterraneo, eoque vero, corporeo, & ejusdem speciei cum nostro elementari, quique non nisi duratione ab infernali differat. Et licet sciri nequeat, quomodo ignis corporeus in animas agat incorporeas, atrocissimos tamen ac tantos inferri ab illo igne cruciatus, ut cum illis nulla pœnæ hujus vitæ comparari possint, eosq; interdum ad tempus benè longum durare.

Thef. 21.

In hoc purgatorio dicunt animas tamdiu igne torreri, donec vel ipsæ sufficientibus passionibus DEO satisfecerint, pro mensurâ peccatorum, vel donec suffragiis vivorum inde citius liberentur.

Thef. 22.

Juvari enim animas in purgatorio, & exinde citius liberari posse per vivorum amicorum, aut sacrificulorum suffragia, quorum tria sint genera, 1. sacrificium missæ. 2. oratio. 3. opera quælibet pœnalia, & satisfactoria, ut jejunium, elemosyna, peregrinationes & similia, quibus Bellarminus addit indulgentias. Pro satisfactionum ergò & indulgentiarum ratione, miseras animas vel tardius vel citius liberari somniant.

Th. 23.

Thes. 23.

Hæc est tota strues purgatorij Pontificij, ex Bellarmino, Gregorio de Valentia, aliisque Jesuitarum scriptis extracta, qui quidem ita norunt de eo differere, ac si omnes ejus angulos perreptassent, & proprio sensu omnia experti fuissent.

Th. 24.

Num ergo talis purgatorij locus, in quem animæ justorum detrudantur, antequam in regnum cœlorum recipiantur, detur, exurgit inter nos & Pontificios quæstio? Ubi quidem negativam nos Lutherani tenemus, adeoque Purgatorium tale unquam vel uspiam esse, aut fuisse, penitus inficiamur.

Th. 25.

Econtra Pontificij, & eorum antesignani Jesuitæ, utroque (quod dicitur) pede in affirmativam concedunt, & pro obtinendo purgatorio, tanquam pro primario religionis Christianæ articulo omni contentione dimicant. Nostra proin sententia paucis confirmanda, & contra vana ac profana Romanensium opinio confutanda est.

MEMBRUM II.

Th. 26.

Nostram igitur negativam quod attinet, Pontificium hoc purgatorij commentum sequenti generali syllogismo evertimus:

Quicquid est 1. ἀγχαΦορ. 2. ἀντίγχαΦορ. 3. pugnat cū analogiâ fidei. 4. & cum orthodoxyâ Patrum. 5. Ex Ethnicorum figmentis, fabulosis traditionibus veterum, & spectrorum apparitionibus est confutum. 6. suis partibus undiquaque non cohæret, & 7. multa absurda cumulat, & infinitarum superstitionum seges est, illud nec statuendum, nec fide Christianâ reci-

recipiendum, sed ut erroneum, & hæreticum rejiciendum est:

Dogma Pontificium de Purgatorio est tale: Ergò fide Christianâ non est recipiendum, sed ut erroneum & hæreticum rejiciendum.

Thes. 27-

Major propositio suâ luce radiat, nec ab ipsis Pontificiis negari potest; minoris veritatem per singula membra comprobata dabimus.

Th. 28.

Ac I. Commentum purgatorij planè esse ἀγχαΦov, ac nullum in scripturis canonicis fundamentum habere, patet tum ex scriptura S. lectione, tum ex aperta quorundam Pontificiorum confessione.

I.

Th. 29.

Scriptura enim tanquam solitaria, perfectissima, & sufficiens fidei vitæq; nostræ regula, nusquam Purgatorij, quale Pontificij extruunt, vel quoad literam, vel quoad voces equipollentes, vel quoad rem & sensum, meminit, sed de illo planè tacet etiam in istis locis, in quibus mentionem ejus fieri, si Purgatorium revera esset, omninò oportebat.

Th. 30.

In Genesi capp. 23. v. 2. c. 25. 9. c. 35. 19. 29. c. 50. 1. 2. 3. 24. 25. luctus & solennitates funebres Saræ, Abrami, Isaaci, Rachelis, Jacobi, Josephi, inq; cæteris Scripturae libris funera prophetarum, Regum, & aliorum sanctorum diligentissimè describuntur, sed de purgatorio & reliquis, ad ejus structuram pertinentibus, altum est silentium.

Th. 31.

In Levitico c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & c. varia sacrificiorum genera pro omnigenis necessitatibus fusissimâ accuratissimâq; institutione describuntur: at de sacrificio quodam,

B

pro

pro animabus defunctorum in purgatorio sudantibus, verbum nullum, unde nec Prophetæ, tanquam legis divinæ interpretes, de eo quicquam habent.

Thes. 32.

Extant quoque in scripturâ permultæ comminationes, & pœnarum descriptiones, multæ promissiones, adhortationes, atque admonitiones; sed de comminatione purgatorij, ejusq; pœnarum, de adhortationibus ad studium cavendi purgatorij, de admonitionibus ad preces pro animabus in purgatorio, de promissionibus futura ex illis per suffragia vivorum liberationis, nulla uspiam est litera, de quibus tamen omnibus Christianos in tempore præmoneri & erudiri convenisset, si daretur purgatorium.

Th. 33.

Mysteria etiam non pauca in scripturis sunt revelata divinitus, de iis, quæ rationi sunt ignota: formulæ etiam piarum precationum multæ & variæ descriptæ extant: officia charitatis proximo exhibenda diligenter & in specie describuntur: viventium deniq; pietas erga mortuos in scripturâ canonicâ celebratur, & describitur: At de purgatorio, de exemplo precum, pro animabus in purgatorio expetitarum, vel conceptarum, à quoquam sancto Dei homine, de suffragiis pro mortuis, ubiq; est silentium.

Th. 34.

Et in primis Apostolus Paulus, ex professo de statu defunctorum differens, 1. Thes. 4. v. 13. 14. 15. & consolationem vivis in luctu mortuorum proponendam describens, ne unico quidem apiculo ignis hujus subterranei meminit, id quod tamen postulasset antithesis.

Th. 35.

Proin quod Augustinus contra Petilianum de Ecclesiâ, idem nos rectissimè contra Pontificios de purgatorio dici-

*dicimus : Purgatorium suum, si possunt, demonstrent in
prescripto legis, in Prophetarum predictis, in Psalmorum
cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Evangelistarum
predicationibus, & laboribus, hoc est, in omnibus Cano-
nicis sanctorum librorum autoritatibus : Hac sunt cause
nostra documenta, hac fundamenta, hac firmamenta : Sin-
minus, cum Tertulliano dicimus : Non recipio, quod extra
scripturam de tuo infers.*

Th. 36.

*Atq; hinc videmus etiam, quosdam ex adversariis
(tanta est vis veritatis) ingenuè nobiscum fateri, purga-
torium ex scripturis probari non posse : quemadmodum id
faciunt Petrus à Soto, Rossensis, Perionius, & Martinus
Peresius :*

Thef. 37.

*Quid verò hic nihilominus adversarij Pontificij?
1. à nobis improbè & absurdè flagitant, ut negativam no-
stram, videlicet, Purgatorium non esse, ἀποδείξει in scri-
pturis extare, demonstremus : Sic enim Petrus à Soto in as-
sertione catholicâ occinit, & Jesuitæ Lotharingici Durlaci
à nostris postularunt, ut in terminis terminantibus, (sic
loquuntur) ex scripturâ proferatur hæc propositio : Non
est, vel non datur Purgatorium.*

Thef. 38.

*Sed respondemus 1. ex usitatissimo illo canone Logico :
non neganti, sed affirmanti incumbit probatio : Dum ergò
onus probationis ipsis incumbens, à se amovere, & in nos
devolvère volunt, hoc ipso manifestè ostendunt, se de obti-
nendo ex Scripturis purgatorio desperare. 2. Ex illo ca-
none Theologico : In rebus ad fidem & cultum divinum
pertinentibus, argumentum ab autoritate Scripturæ peti-
tum, & affirmativè & negativè valet : Quicquid ergò
circa fidei articulos Scriptura tacet, tacendo negat.*

Thef. 39.

Deinde objiciunt, non necesse esse, ut scriptura omnia ubiq; dicat, & multa sine scripturis tradita esse, quæ sint credenda: : Sic enim Bellarminus c. 1. de purgat, c. 15. & Petrus à Soto in assertione catholicâ excipiunt.

Thef. 40.

Dicimus verò ad prius, equidem non necesse esse, ut scriptura ubiq; dicat omnia, illud tamen necesse est, ut vel semel in certo, eog; expresso ac perspicuo loco, & sic in propriâ sede scriptura ostendat, quod pro fidei articulo recipiendum & acceptandum est: Posterius in totum negamus, siquidem derogatur hoc ipso perfectioni sacræ scripturæ, quæ omnia credenda continet, & quicquid in eâ non docetur, illud fide catholicâ non est tenendum.

Thef. 41.

Tandem ut nihilominus ex scripturis causam suam obtinere se posse videantur, Bellarminus, aliq; Pontificij magno numero dicta scripturæ conglomerant, quibus partim probari, partim probabiliter solum suaderi dicunt purgatorium; sed quàm aliena & peregrina sint illæ probationes, inferius in membro tertio paucis ostendetur.

Thef. 42.

II. II. Est verò purgatorium non solum ἀρεσθη, omniq; Scripturæ Canonice fundamento & testimonio destitutum, sed & prorsus est ἀντιρεσθη, & cum Scripturâ S. è diametro pugnat, imò ejus testimoniis illustribus & gravissimis, ceu fulminibus quibusdam, prosternitur & evertitur, quorum quedam in classes disposita huc apponemus.

Thef. 43.

Prima classis est eorum dictorum, quæ omnes omnino homines in duos duntaxat ordines, credentes scilicet & incredulos, bonos & malos, oves & hædos discriminant,

quo-

quorum uni cœlum, alteri infernum assignant: Qualia
sunt Matth. 7. 17. Matth. 13. 24. 25. Matth. 25. v. 32. &
seqq. Marc. 16. 16. Job. 3. v. 18. & v. 36. Rom. 2. 6.

Thef. 44.

In his & similibus dictis perpetua & immediata est
oppositio inter credentes & incredulos, bonos & malos, quâ
immediatâ oppositione stante, purgatorium corrui.

Thef. 45.

Excipit hîc Schoppius & Becanus, scripturam, quan-
do de duobus tantùm hominum generibus agit, loqui sem-
per de perfectè credentibus, & perfectè incredulis, cum
exclusionem mediocrium, sive imperfectè credentium, qui
inter credulos & incredulos sint medi, & quibus purgato-
rij fornax post mortem preparatus sit.

Thef. 46.

Verùm frivolum est hoc objectum: Nam & infirmi
in fide (quos illi vocant imperfectè credentes) verè sunt
credentes, & infirma fides etiam est vera fides, & meritum
Christi æquè apprehendit, ac fides firmissima: Unde Chri-
stus absolutè, sine ullo fortis & infirmæ fidei respectu, pro-
nunciat Job. 5. v. 24. Qui credit ei, qui misit me, habet
vitam æternam, & in iudicium non venit, (Ergò nec in
purgatorium, quod est locus iudicij, teste Bellarmino) sed
transiit à morte in vitam: Et Petrus eundem finem
omnibus credentibus ascribit, nempe salutem animarum,
1. Pet. 1. 9.

Thef. 47.

Secunda classis est eorum dictorum, quæ immédia-
tam faciunt divisionem salutis & condemnationis, æterni
supplicij & vitæ æternæ, & tantùm duo post hanc vitam
constituunt receptacula, in quæ ultimò omnes animæ à cor-
poribus discedentes deveniant, ibiq; vel in tormentis hæ-
reant,

B 3

reant,

reant, vel eternâ fruantur beatitudine, sine ullâ permutationis vicissitudine, cœlum nempe & infernum; Tertium verò locum intermedium, in quo animæ nec sint salvæ, nec damnatæ, nec maledictæ, nec benedictæ, nec cum Christo, nec cum diabolo, prorsus ignorant: Talia sunt Matth. 3. 12. Matth. 7. 13. Matth. 8. 11. 12. Matth. 25. v. 34. 41. 46. Marc. 16. 16. Luc. 16. 22. 23. Job. 3. 36.

Thef. 48.

Iterum hîc excipiunt Pontificij, Scripturam, quando duorum meminit locorum post hanc vitam, loqui de locis & statibus perpetuis, non autem de temporariis. Verùm 1. ejusmodi statum temporarium, & locum animarum intermedium dari, antequam ad domicilium perpetuum & æternum transferantur, Pontificiis prius probandum incumbit. 2. Sicut inter regnum Christi, & regnum Diaboli non datur aliquod intermedium: ita quoque non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo, dicente Augustino.

Thef. 49.

Tertia classis est eorum dictorum, quæ fidelium animas, quamprimùm nexu corporis solutas, in ipsa morte ab omni peccati reatu liberari, ac statim & immediatè in cœlum transferri, è vestigio beatas esse, esse cum Christo, esse in sinu Abrahamæ, esse in manu Dei, esse in quiete, nec in judicium venire attestantur.

Thef. 50.

Idq; Scriptura ostendit tum firmis promissionibus, tum piorum desideriis, & certâ scientiâ, tum etiam exemplis; Quæ omnia purgatorij flammæ evincunt esse nullas, aliàs quies & felicitas in Christo obdormientium commutaretur in acerbissima tormenta: Talia dicta sunt Sap. 3.

1. 2. 6.

1. 2. c. 4. 7. Luc. 16. 22. Luc. 23. 43. Job. 3. 36. Job. 12. 26. 2.
Cor. 5. 1. 2. 8. Phil. 1. 23. Apoc. 7. 16. Apoc. 14. 13.

Thef. 51.

Quarta classis continet ea Scriptura dicta, quae liberationem à peccatis, & eorum poenis, consecutionem gratiae, & salutis aeternae, ad hanc vitam tantummodò restringunt, usum clavium ministris in terrâ tantum ligantibus & solventibus concedunt, post mortem verò omnem gratiae consequenda spem sive per propria tormenta, sive per suffragia viventium, praecidunt: Talia sunt Ps. 95. v. 8. Matth. 9. 6. Matth. 16. 19. Matth. 18. 18. Matth. 25. 10, 2. Cor. 6. 2. Sir. 5. v. 8. Eccles. 11. 3.

Thesis 52.

Quinta classis est eorum dictorum, quae duplex solum tempus proponunt, unum viae, alterum metae, unum satisfactionis, alterum messis, unum laboris, alterum quietis, unum tentationis sive probationis, alterum coronae, unum operis, alterum mercedis, unum praelij & militiae, alterum triumphi, & coronae, unum cursus, alterum brabei, Psal. 126. 5. 1. Cor. 9. 24. 25. Gal. 6. 10. Heb. 3. 15. 2. Tim. 2. 5. c. 4. v. 7. 8. Jac. 1. 12. Apoc. 14. 13. Apoc. 22. 12. Prius in hac vitâ durare & cum hac desinere, posterius illicò, cum hoc desinit, incipere: Tertium ergò tempus, quod purgatorij esse fingitur, excluditur.

Th. 53.

Sexta classis complectitur ea scriptura dicta, quae credentibus spirituale gaudium, & vivam consolationem in tribulationibus, mortis non aversationem, sed desiderium, animositate quoque ac letitiam piorum morientium describunt: Qualia sunt Rom. 5. v. 3. 4. 5. Rom. 8. 23. 2. Cor. 1. v. 3. 4. 2. Cor. 6. v. 10. 2. Cor. 5. 2. 2. Tim. 4. 8. Act. 7. 59. Phil. 1. 21. Luc. 2. 29.

Th. 54.

Thef. 54.

Hoc spirituale in arumnis gaudium expiraret apud
pios, si daretur purgatorium: Quomodo enim potest fir-
miter in suis passionibus erigi is, qui semper timere cogitur
in purgatorio plurimas, imò infinitis modis majores passio-
nes?

Th. 55.

Cum primis quoque fugaretur omne desiderium mori-
endi, omnisque animositas in morte, ac succedere oporteret
perpetuos angores & terrores animi: Quam enim alacri-
tate moriatur is, qui credere debet, sibi statim post mortem
pœnas in purgatorio sustinendas esse acerbissimas, imò pror-
sus infernales, incertus, quamdiu & per quam multos an-
nos, per quam multa secula eas sit persensurus?

Thesis 56.

III.

III. Pugnât quoque Purgatorium cum analogiâ fidei,
siquidem plurimos Christianæ fidei articulos labefactat,
imò convellit, quorum aliquos saltem hic proferemus.

Thesis 57.

Ac primò purgatorium enervat Dei tum justitiam,
tum misericordiam: Justitiam quidem; quippe quæ re-
missâ totaliter culpâ pœnam irrogare haud potest, cum
pœna culpæ pœna sit: Misericordiam verò; Quæ enim ef-
set misericordia, si DEUS culpam remitteret, pœnam au-
tem quandam reservaret? Vera certè Dei misericordia,
quæ tantoperè in Scripturâ commendatur, utrumque per-
fectè remittit, Matth. 18. 27.

Thef. 58.

Deinde repugnat purgatorium Sacerdotali Christi
officio, & utramque illius partem, Satisfactionem nempe &
Intercessionem, blasphemè depravat.

Thef. 59.

In satisfactionem quidem contumeliosum est, quia
tota

*totā Scriptura clamat, Christum SOLUM unica oblatione,
hoc est, merito & passione suā pro omnibus omnium homi-
num peccatis, similiter pro pœnis omnibus, tam tempora-
libus, quàm æternis, plenissimè satis fecisse, & precioso suo
sanguine nobis omnibus mundationem ab omnibus pecca-
tis, & expiationem omnium pœnarum sufficientissimam
acquisivisse: Es. 53. v. 4. 5. Matth. 8. 17. Job. 1. 29. 2. Cor.
5. 15. Gal. 3. 13. Col. 1. v. 14. 20. 1. Job. 2. 2. 1. Pet. 2. 24.
Heb. 1. v. 3. c. 9. v. 12. c. 10. v. 14.*

Thef. 60.

*Si itaq; solo incorruptibili sanguine Christi satisfactum
est pro nobis, certè opera nostra transeuntia, & passiones
temporales in purgatorio non poterunt esse satisfactoria,
multò minus illæ satisfactiones possunt præstari pro alio-
rum reatu expiando.*

Th. 61.

*Quod si jam excipias, Christum pro culpā quidem &
pœnā æternā perfectè satisfecisse, pro temporali autem no-
bis, tum in hac vitā, tum in purgatorio, satisfaciendum
esse: Tunc fundamentum totius salutis humana destrues,
infinitum Christi meritum sacrilegè distrabes, & Christum
constitues dimidium tantum Salvatorem, qui socium Re-
demptionis admittat, & officium satisfaciendi, gloriamq;
salvandi nobiscum partiatur, id quod pleno ore negat Scri-
ptura V. & N. Testamenti Es. 43. 25. Es. 63. 3. Act. 4. 12.
Heb. 10. 12.*

Th. 62.

*Quandoquidem ergò omnis quoq; pœna perfectè à
Christo est expiata, utiq; illa credentibus, banc Christi ex-
piationem sibi per fidem applicantibus, non est denuò ex-
pianda in purgatorio: vel enim prior expiatio non suffi-
ceret, vel DEUS injustus foret, requirens novam expia-
tionem*

C

tionem

tionem post expiationem Christi perfectissimam: Quod
utrumq; impium & blasphemum est.

Th. 63.

Alteram verò Sacerdotalis officij Christi partem de-
pravat Purgatorium, dum honorem intercessionis meri-
torie apud DEUM, Christo soli proprium, similiter & glo-
riam religiose invocationis, soli DEO competentem, cum
aliis sanctis communem facit, uti patet ex consuetà suffra-
giorum efficacità, & ex missis pro defunctis.

Thef. 64.

Tertiò impugnat quoq; Purgatorium, articulum de
justificatione, qui tamen est tanquam arx, & precipuum
propugnaculum totius religionis Christiana, graviter ita
scribente Chemnitio in loco de Justificatione, ex Lutbero
super epistolam ad Galatas.

Thef. 65.

Credimus, nos ex merà Dei gratià, propter solum
Christi meritum, per fidem imputatum, sufficientissimè &
plenissimè justificari & purgari ab omni peccato, tum in
pœnitentià, tum in baptismo, Rom. 3. 24. Rom. 5. 21. Col.
1. 14. Act. 4. 12. Eph. 1. 7. c. 5. 25. 1. Job. 1. 7. 9. Heb. 9. 14.
ut homini justificato sive aliorum hominum, sive propria
satisfactio, vel pro culpà vel pro pœnà non sit necessaria.

Thef. 66.

Hinc etiam nusquam à DEO est præcepta sive in V. sive
in N. Testamento; nullum quoq; exemplum extat in totà
Scripturà, quo probes, ullum resipiscentem DEO pro pecca-
tis aut pœnà satisfecisse, vel in hac, vel in alterà vità, nul-
la quoq; est promissio Dei, quòd hominis satisfactionem
velit suscipere, & in eà acquiescere.

Th. 67.

At Papistæ fingunt, purgationem & propitiationem
etiam

etiam obtineri per proprias passionis animarum in purgatorio, nec non per suffragia vivorum, per missas, per eleemosynas, &c. quo ipso gratiam Dei justificantem, qua cum propriis satisfactionibus stare nequit, evertunt, propitiationem Christi, fide nobis imputatam, faciunt semiplenam, & imperfectam, & aliud medium purgationis à peccatis consingunt.

Thef. 68.

Credimus, DEUM remittere nobis omnia peccata perfectè, sic ut eorum obliviscatur in perpetuum, & omnem simul poenam, quam lex minatur, auferre & condonare, juxta dicta Ps. 103. 12. Es. 43. 25. Jer. 50. 20. Ezech. 18. 21. 22. Mich. 7. 19. c. 8. 1. At Pontificij fingunt, quaedam peccata, nempe venialia, non remitti: remissâq; culpâ & poenâ aternâ, remanere poenam temporalem post poenitentiam, vel in hac vitâ vel in alterâ per purgatorij cruciatus luendam: Aut ergo perfectio remissionis peccatorum erit neganda, aut purgatorium.

Thef. 69.

Credimus, fidem & quidem cujusq; propriam, esse unicum & solum ex nostrâ parte medium, per quod apprehenditur, & applicatur gratia Dei & meritum Christi, juxta dicta Hab. 2. 4. Job. 3. 16. Rom. 1. 17. Gal. 2. 16. At Pontificij fingunt, per hominum viventium suffragia, similiter per indulgentias consequi relaxationem eos, qui sunt in purgatorio, ut exinde citius liberentur.

Th. 70.

Credimus, justificados pacem habere cum DEO, Rom. 5. 1. & filiali fiducia cultum ipsi prestare sine timore Luc. 1. 74. deq; gratiâ & favore Dei, ac remissione suorum peccatorum certos esse Rom. 8. 38. At hanc pacem & filialem fiduciam, hanc certitudinem planè tollunt flammæ purgatorij.

Th. 71.

Quomodo enim pacem haberent justificati, quomodo sine timore DEO servirent, quomodo de remissione peccatorum certi essent,

essent, qui scirent vel culpam vel pœnam in solidum hic sibi non dimissam esse, seq̄, utpote nondum plenè purgatos, descendere oportere in ignem purgatorium, ibiq̄, per multas annorum decades desudare ac aestuare?

Th. 72.

Quartò pugnat quoq̄, purgatorium cum articulo extremi iudiciij, sive cum ultimâ decisione justi iudicis, qui homines vel cœlo adjudicabit, vel in gehennam precipitabit, Matth. 25. v. 34. 41. Quod si tunc nullus erit Purgatorius ignis, utiq̄, nec jam est aliquis.

Th. 73.

Nam Christi meritum uno tempore non plus prodest quàm alio, Act. 4. 12. c. 10. 43. c. 15. 11. nec justitia Dei permittit, ut multa millia hominum, paulò ante diem novissimum mortuorum, statim ex purgatorio dimittat, aut etiam eos, quos vivos offenderit, in purgatorium planè non immittat, cum tamen iisdem peccatis fuerint polluti, ob quæ alij per multos annos in purgatorio fuerant excruciatij.

Th. 74.

Cùm autem DEUS sit justissimus, & verò in extremo iudicio nil quicquam norit de purgatorio, utiq̄, & nos illud ignorare debemus.

Th. 75.

Taceo jam, quòd Purgatorium veram penitentiam labefactet, Evangelium in Legem transformet, ministerium verbi & sacramentorum aperte convellat, deniq̄, sacrosanctæ cœnæ Dominicæ, pro viventibus tantùm institutæ, abusum & horribilem profanationem, dum contra Testatoris voluntatem, ad defunctos quoq̄, extenditur, adjunctam habeat.

Th. 76.

IV. IV. Destituitur quoq̄, Purgatorium Pontificium, primitivæ Ecclesiæ & omnium ferè Patrum sinceriorum consensu, id quod patet tum ex alto Patrum in suis scriptis silentio de purgatorio, tum ex eorum sententijs & axiomatibus ejusmodi, quæ cum Papistico specu, & subterraneis flammis conciliari non possunt.

Th. 77.

Th. 77.

Talia axiomata Patrum, (ut quaedam saltem afferamus) sunt sequentia: Animas verè fidelium, è corporibus exeuntes, re- Et à ad Christum in caelum transire, infidelium animas in infernum migrare: Duo tantum esse loca, in qua anima, è corporibus egredientes, veniant, caelum & infernum: nullam reconciliationem, nullam satisfactionem pro peccatis dari, nisi satisfactionem Christi: Christum satisfecisse tam pro culpâ, quàm pro pœnâ: Sanguine Christi justificados pœnam ulterius nullam subire, neq; in hac vitâ, neq; post illam: remissionem peccatorum in hac solum vitâ contingere, post hanc vitam nullum amplius esse pœnitentiæ locum: Talem unumquemq; judicari à DEO, qualis in die mortis corporalis reperitur.

Thesis 78.

Hæ sententiæ à nostratibus Theologis ex scriptis Cypriani, Athanasij, Justinii Martyris, Cyrilli Alexandrini, Ambrosij, Augustini, Theophylacti, Bernhardi, Hieronymi, Chrysostomi, Basilij Magni, Epiphani, Gregorij Nazianzeni, sunt collectæ: Qui autem ipsorum Patrum formalia verba cognoscere cupit, is consulat D. Chemnitium, parte 3. Examiniis Concilij Tridentini in loco de purgatorio; & D. Gerhardi Tomum VIII. L. T. loco de morte.

Thesis 79.

Equidem Jesuitæ ad hæc Patrum dicta multis excipiunt, & econtrâ disertis Patrum verbis purgatorium astruere enixè conantur: sed quid veri subsit, dudum à nostratibus Theologis prolixè est ostensum.

Thes. 80.

V. Est verò Purgatorium ex Ethnicorum figmentis primitus in Ecclesiam introductum, scriptis apocryphis & traditionibus supposititiis stabilitum, & tandem ex variis mortuorum atq; spirituum apparitionibus confirmatum. V.

Thes. 81.

Primi autores, qui de purgationibus animarum post mor-

tem expresse scripserunt aliquid, sunt Poëta & Philosophi Ethnici: Nam Homerus odysſ. λ. de Ulyſſis ad inferos descensu & animarum ibi detentarum alloquio multa narrat fabulosa, meminit prætereà sacrificiorum pro mortuis, & fluviorum ac judiciorum infernalium.

Th. 82.

Homerum secutus Plato fusius de purgatorio differere cœpit, qui ab Homero sumit argumenta & exempla, & non minus ac Pontificij tria hominum agnoscit genera, qui ad iudicium evocentur post mortem, atq; ita totam fabulam pertexit, citante Eusebio l. 1. de preparat. Evangel. c. ult.

Th. 83.

A Grecis ad Romanos sive Latinos idem error traductus est, unde Virgilius l. 6. Æneid. de eo fuse differit, & Cicero in somnio Scipionis meminit talis quorundam criminum post mortem expiationis: Atq; hoc non diffitetur ipse Bellarminus, qui l. 1. de purgat. c. 11. purgatorium etiam rationibus astructurus, tertiam sumit à communi opinione Mahumetanorum, gentilium, eorumq; tam Philosophorum, quàm Poëtarum.

Thesis 84.

Quomodo autem in Ecclesiam Novi Testamenti primum pervenerit hoc somnium, nonnihil obscurum est: Tempore Clementis Alexandrini, qui vixisse dicitur secundo post natum Christum seculo, prima fundamenta ignis alicujus purgatorij jacta fuisse videntur.

Thes. 85.

Is enim ex fabulosis quibusdam traditionibus & scriptis Apocryphis primus semina sparsit purgatorij, ansamq; de illo cogitandi suppeditavit, cujus commentum absolvit postmodum Origenes, Clementis discipulus, mirabilia de purgatorio paradoxa fabricans, & publicè proponens, quanquam Origenicum & Papisticum Purgatorium in multis differant.

Th. 86.

Thef. 86.

Post Origenem verò in Latinâ Ecclesiâ de purgatorio variè disputatum, & dissimiliter judicatum est, Patres siquidem Latini in illo asserendo admodum sunt lubrici, dogma tamen purgatorij pro privatâ tantùm opinione fuit habitum, & libertas opinandi cuiq; relicta, presertim Augustini tempore, non autem imposita necessitas credendi.

Thef. 87.

Tandem verò, sexto post Christum natum seculo, sub Gregorio Magno, dogma purgatorij cœpit proponi, & asseri publicè, tanquam dogma creditu necessarium: Is enim primus ex Ethnicorum consuetudine legem Ecclesiæ Christianæ fecit, ex curiosis Origenis speculationibus religionem necessariam, ex Prædecessorum problematis theorema, ex Augustini dubitationibus assertionem certissimam.

Th. 88.

Superstruxit verò suam opinionem non Scripturæ testimoniis, sed spectrorum, sive, ut ipse putat, animarum defunctorum apparitionibus & querelis, contra expressum Dei interdictum, Deut. 18. v. 11. quod Es. 8. v. 19. 20. repetitur.

Th. 89.

Operi huic sic inchoato ultimam manum addiderunt Scholastici post Gregorium Magnum: Nam quod Gregorius tacuerat, hoc illi narrant, multaq; de loco Purgatorij, de genere ignis, & poenarum ministris, de satisfactionum meritis, de missarum valore, & aliis spinosis questionibus disputant.

Thef. 90.

Utq; portentosis hisce mendaciis facerent fidem, finxerunt
1. quosdam mortuos resuscitados hæc omnia revelasse. 2. Sanctos quosdam viros in ecstasi raptos vidisse purgatorij terrores, & poenas. 3. alios sine ecstasi mira de purgatorio vidisse. 4. in antro Patritij plura purgatorij tormenta conspecta esse. 5. multa quoq; ex Angelorum revelationibus se habere dicunt. 6. ab ipsis
etiam

etiam diabolis (testibus sc. omni exceptione majoribus) Purgatorium confirmatum esse asserunt. 7. multa quoque per monachorum & vetularum narrationes, de peccatis per hunc ignem eluendis, de liberatione ex flammis per missas, de magnitudine poenarum, & similibus differentes, stabiliunt.

Th. 91.

Hec de origine purgatorij paucis ex magno illo Theologo D. Chemnitio collecta ostendunt, quid de hoc dogmate sentiendum sit, unde etiam factum, ut Origenice haec opiniones, & reliqua superstitiones, quibus purgatorium postmodum est confirmatum, nec ab omnibus sint recepta, nec quidem absque publicâ contradictione propagata.

Thef. 92.

Græca enim Ecclesia nunquam plenè probavit & agnovit purgatorium, sed usque in hodiernum diem illud apertè negat, teste Alphonso de Castro: similiter in Occidente Waldenses circa annum 1160. palam in hunc errorem sunt inveci, & multæ personæ, pietate & eruditione insignes, contradixerunt, uti testatur catalogus testium veritatis.

Thef. 93.

Et licet invalescente errore complura concilia diversis in locis sint habita, tamen in concilio demum Florentino sub Eugenio IV. Papâ, circa annum Domini 1439. erroneum hoc de purgatorio dogma (animadverso scilicet ejus lucro) plenè definitum, & inter fidei articulos relatatum est: cujus quidem vestigia postmodum præsit conciliabulum Tridentinum, unde & usque in hodiernum diem à Jesuitis adeò tenaciter defenditur, cum sine hoc igne expiatorio focum suum luculentum esse non posse deprehendant.

Thef. 94.

VI. VI. Purgatorium quoque suis partibus non coheret, sed perpetuis laborat contradictionibus, quod similiter non leve est indicium, quanta sit hujus commentii vanitas.

Th. 95.

Ipsi namque scriptores Pontificij varias ac discrepantes fovent

vent opiniones de loco purgatorij, de ministro s. tortore ac carnifice Purgatorij, de personis in purgatorium relegandis, de materiâ purgatorij, de statu animarum in purgatorio, de gravitate & duratione pœnarum, de medio liberationis ex purgatorio, id quod vel ex unico Bellarmino in libris duobus de purgatorio videre est, ubi in singulis ferè capitibus, ex propriâ ipsius narratione, varia & planè contrariæ Papistarum de hoc dogmate sententiæ reperiuntur.

Th. 96.

VII. Deniq; Purgatorium Pontificium multa absurda VII. cumulat, & infinitarum superstitionum seges est uberrima.

Thes. 97.

Absurda vel sunt circa fidei doctrinam, ejusq; usum in consolatione, vel circa vitam: Dato enim purgatorio, tunc circa fidem absurda profluent sequentia: 1. Scripturam esse imperfectam, quæ nusquam doctrinam tam necessariam proponit: 2. Christi satisfactionem non esse undiquaq; perfectam. 3. homines ex parte esse sui ipsorum redemptores & salvatores. 4. peccatorum remissionem non esse plenè gratuitam. 5. rationem justificationis, & impetranda salutis non esse unicam: 6. pœnitentiam aliam esse hujus, aliam futura vitæ. 7. animas defunctorum ex suis receptaculis redire, & ipsarum relationi fidem esse habendam, &c. & quæ alia sunt absurda numero plurima, cum, secundum Philosophum, dato uno absurdo, sequantur infinita.

Thes. 98.

Circa fidei usum consolatorium sufficiat hoc attigisse, quod doctrina purgatorij fœcunda mater sit dubitationum, & desperationis, in consternatis & infirmis conscientis, quibus precipuas consolationes Evangelicas, tum in omni vitâ, tum præcipuè in mortis agone eripit.

Th. 99.

Circa vitam verò per hoc dogma extinguitur amor Dei, amor proximi, atq; adeò omnis solida pietas. Quomodo enim

D

homo

homo DEUM diligat, si sciat eum debiti, licet à Christo plenè soluti, nihilominus à se post hanc vitam exigere solutionem, & peracto cursu, servat àq; fide, non coronare, sed prius torquere velle?

Th. 100.

Quomodo exemplo patris coelestis homo invitari potest, ut ex animo caritatem declaret, & omnem offensam citra ullius vindictæ reservationem ignoscat ei, à quo laesus fuit? Si pater coelestis tantum veniam sic dimidiet peccatoribus, ut remissis peccatis nihilominus temporalipœnâ eos afficiat.

Th. 101.

Quod porrò attinet superstitiones, sunt & illa innumera: Nam in purgatorio concurrunt opera supererogationis, merita sanctorum, indulgentiæ Papales, vigiliae, missarum pro defunctis multitudo, anniversaria, oblationes, suffragia, fraternitates, peregrinationes, memoriae, exequiæ, & alia idolomania Papisticae corollaria.

Th. 102.

Atq; ut mantissæ loco aliquid adjiciamus, damus Pontificiis doctrinam suam de Purgatorio conciliandam cum propriis ipsorum bypothesibus, quales sunt: Animas in purgatorio nihil amplius mereri posse, esse certas de salute, nequaquam verò desperare: pœnam purgatorij tantum aternitate à gehenna doloribus differre: indulgentias Papales plenè tollere ac relaxare pœnas purgatorij, & quæ sunt his similes.

Th. 103.

Non enim potest satisfieri pro pœnis quibusdam in purgatorio, quia omnis satisfactio est meritoria: Anima purgatorij non possunt non desperare, & de salute suâ maximè incertæ esse, cum pœna gehenne essentialiter includat desperationem, docente Bellarmino l. 4. de Christo c. 8. In purgatorium cur relegantur, qui post acceptas & magno ære redemptas indulgentias à reatu pœnæ coràm DEO sunt liberati? Th. 104.

Ex hisce ergo jam adductis nostratium fundamentis, ultrò sequitur conclusio: Ergo

Ergò dogma de purgatorio non est necessarium fidei Christiana dogma, imò impium, blasphemum, vereq; Antichristianum figmentum, ideoq; meritò rejiciendum & damnandum est.

M E M B R U M III.

Th. 105.

Sed videamus etiam paucis fulcra, quibus ruinosa Pontificij purgatorij structura ab Architectis Romanensibus, imprimis Jesuitis fulcitur & statuminatur: Illa sunt potissimum triplicia, 1. dicta Scriptura: 2. auctoritates Conciliorum & Patrum. 3. Rationes.

Th. 106.

Scripturae testimonia petuntur tum ex V. tum ex N. Testamento, quae omnia sigillatim persequi instituti ratio non patitur, primaria saltem attingemus, & summos responsionum apices apponemus.

Th. 107.

In omnibus ergò tum V. tum N. T. dictis, quae ab adversariis proferuntur, generatim desideratur vis consequentiae: Omnibus enim his pronuntiatis positis, nondum infertur: Ergò est aliquis locus, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur anime, quae in hac vitâ non fuerunt plenè purgatae.

Th. 108.

Specialiter verò loca V. T. quaedam petuntur è scriptis Apocryphis, quorum auctoritas adversus Scripturam Canonicam nobis planè nulla est; ut 2. Maccab. 12. 43. 46. quaedam non de mortuis loquuntur, sed de vivis, & afflictionibus Ecclesiae: ut Ps. 65. v. 11 12, quaedam de toto genere humano, non aliquibus ex eo, ut Zach. 9. 11. quaedam de solo Israële, ejusq; post Babylonicam transmigrationem restitutione, ut Es. 4. v. 4. Es. 9. v. 18. Mich. 7. 8. quaedam de Judaico cultu ejusq; per Christum reformatione, ut Malach. 3. v. 3. quaedam de hominibus justis, quos in purgatorium ne Pontificij quidem ablegant, ut Tob. 4. v. 18. quaedam de jejuniis & luctu super mortuis, sive salvatis, sive damnatis, ut 1. Sam. 31. v. 13. 2. Sam. 1. v. 12. uti etiam alibi haec jejunia citra suspicionem

purgatorij leguntur celebrata, 2. Sam. 3. v. 35. c. 12. v. 16.

Thef. 109.

Ex Novo Testamento in specie quedam locorum allegatorum agunt de inferno, ut Matth. 5. v. 25. 26. nam irreconciliabiles non ad purgatorium, sed ad infernum ablegantur: quedam de peccato irremissibili, ut Matth. 12. 32. quod non remittitur in eternum, Marc. 3. 28. 29. Luc. 12. 10. quedam de tribulationibus & tentationibus, quæ communes sunt Christianis quibusvis, & quidem in hac vitâ, non autem animabus in purgatorio proprie, ut 1. Cor. 3. v. 12. quedam de ritu baptismi supra sepulchra Christianorum administrati, ut 1. Cor. 15. v. 29. quedam de peccato ad mortem, & non ad mortem, nil quicquam ad purgatorium pertinente, ut 1. Job. 5. v. 16. quedam de subjectione omnium, sub summâ illâ potestate, quæ Christo super omnia data est, ut Phil. 2. v. 10.

Thef. 110.

Concilia & Patres quod attinet, satis splendido quidem titulo illorum autoritas nobis objicitur: Verum 1. Concilia non sunt fidei & Christianæ religionis norma infallibilis, siquidem fatente ipso Bellarmino l. 2. de conciliis c. 12. ea non habent, nec scribunt immediatas revelationes, aut verba Dei: Conciliorum proin autoritate, si Θεῖν δόξαις συνῶδα non proponunt, non est standum. 2. Concilia antiqua nihil omninò habent de purgatorio. 3. Ea verò, quæ contra nos allegantur ex recentioribus Conciliis, vel non satis ad propositum loquuntur, vel sunt Concilia Papistica, (conciliorum legitimorum nomen eminentia) quæ plurimos articulos veros condemnarunt, & falsos stabiliverunt, inter quos etiam est erroneum dogma de purgatorio.

Thef. 111.

Similiter & Patrum scripta non sunt fidei Christianæ regula, siquidem obstant non modò plurimi eorum navi, sed etiam ipsorum Patrum confessio non permittit: nam ipsi Patres agnoscunt, se erroris minime fuisse expertes, provocant contra hereticos

ticos

ticos non ad sua, aut ad antecessorum scripta, sed ad solas scripturas, suaq; omnia ad has SOLAS volunt examinari: 2. Patres ipsi hac in parte diversissimas habuerunt opiniones, nullusq; per omnia consensit cum Pontificijs. 3. Patres à Bellarmino citati, vel aliena toquantur, vel cause ipsi planè contraria.

Thef. 112.

Rationes verò Pontificiorum palmarie sunt tres: 1. petitur à discrimine peccati mortalis & venialis, quorum illud aeternas pœnas mereatur, hoc solâ temporali pœnâ dignum sit: cum itaq; quidam discedant cum peccatis venialibus, antequam pœnam expiarint, necesse esse, ut in alia vita purgentur: 2. petitur à debito pœnarum temporalium, post remissam culpam mortalem, quod si jam illud debitum in hac vita non sit exolutum, necesse esse, ut post hanc vitam pro eo satisfiat. E. necessario dari purgatorium: 3. sumitur à consuetudine veteris Ecclesie, quæ pro defunctis preces fundere est solita.

Thef. 113.

Ad singulas breviter respondemus: Et primam quidem quod attinet, discrimen peccati mortalis & venialis admittimus in sano sensu, qui alibi explicatur, nullum verò peccatum scimus, quod in se & suâ naturâ sit veniale aut solum mereatur pœnam temporalem, cum id nusquam in scriptura legatur, quin potius contrarium asseritur Rom. 6. v. 23. quod stipendium peccati mors sit, eaq; tum temporalis tum aeterna. Et sanè si, propter peccatum veniale nondum expiatum, deveniendum est in purgatorium, utiq; in illud detrudi debent omnes sancti, cum omnes sint peccatis venialibus contaminati, quod tamen non concedunt ipsi Pontificij.

Thef. 114.

Ad secundam respondemus negando, peccatum remitti, remanente pœnâ debito: DEUS enim in justificatione nostræ perfectissimè remittit omnem culpam, omnemq; pœnam tum tempo-

valens, tum eternam: Remissa itaque culpa, debitum luende poe-
nae temporalis, proprie sic dictae, simul condonatur.

Thef. 115.

Quod denique concernit consuetudinem veteris Ecclesiae, qua
oratum fuit pro mortuis, ad illam dicimus. 1. Consuetudo oran-
di pro mortuis non ex Scriptura canonica praescripto, mandato,
aut exemplo originem habet, sed ex naturali quadam mentis hu-
manae affectione, post Apostolorum, & priscae Ecclesiae, Apostolo-
rum aetati proxima, tempora coepit invalescere. 2. Nihil autem
ex hac consuetudine necessario concluditur pro extruendo ponti-
ficio purgatorio: Nam pro ijs quoque orabant, quos in caelo esse
non dubitabant, ut pro martyribus & sanctis: Et Graeca Eccle-
sia etiam oravit pro mortuis, quae tamen nunquam agnovit ignem
purgatorium. Oratio quoque pro defunctis diu fuit in Latina Ec-
clesia, antequam purgatorius ignis erupit in flammam.

Thef. 116.

3. Ipsae vero preces pro mortuis papistica toto genere diffe-
runt a precibus veteris Ecclesiae. Nam papista orant pro misera-
tione DEI erga mortuum, & sacrificium missae offerunt, & ope-
ra praestant poenalia ac satisfactoria hoc sine, ut qui in purgato-
rio torquentur, ex ipsorum opinione, vel mitigationem sentiant
poenarum, vel omnino liberentur.

Thef. 117.

Orationum autem veteris Ecclesiae pro mortuis longe aliae
erant causae, longe alij fines: Quippe illae erant 1. publicae ce-
lebrationes DEI, pro donis in mortuos collatis. 2. commenda-
tiones pie defunctorum in ipsis sepulturis hoc sine factae, ut in ser-
virent institutioni viventium, consolationi lugentium, & de-
clarandis piis animorum erga defunctos affectionibus. 3. etiam
fuerunt vota & comprecationes, quibus partim gratulati sunt
ijs, qui in Domino obdormierunt, partim etiam plenam felici-
tatem, s. beatam resurrectionem corporum, qua adhuc carent,
ex Chri-

ex Christianâ charitate exoptarunt. Quae pia vota nequaquam
incurrunt reprehensionem.

Thef. 118.

Non tamen negamus, progressu temporis, veritate paulatim
inclinatâ, preces pro defunctis etiam in eum finem institutas
fuisse, ut remissio peccatorum venialium mortuis impetraretur,
utq; defunctus requiem adipiscatur, & propitium judicem inve-
niat: sed hæc consuetudo ad conformitatem scripturæ examinan-
da est: cumq; pij mortui gratiam DEI jam sint consecuti in hac
vita, & impij post mortem non possint in gratiam à DEO recipi,
non est quod pro mortuis hoc modo oremus, cum talibus precibus
illi nihil juventur, neq; aut mandatum aut promissionem istius-
modi orationis habeamus.

Thef. 119.

Et tantum quoq; de fundamentis Pontificiorum pro astru-
endo purgatorio breviter dixisse sufficiat: Nos jam concludi-
mus cum B. Luthero, in articulis Smalcaldicis parte secunda
art. 2. Purgatorium, & quicquid ei solennitatis, cultus, &
questus adhaeret, mera Diaboli larva est.

TIBI VERO DOMINE JESU CHRISTE,
QUI SOLUS PRECIOSO TUO SANGVINE PURGASTI
ANIMAS NOSTRAS, SIT CUM PATRE ET SPI-
RITU SANCTO LAUS ET GLORIA IN
SECU LA SECU LORUM,
AMEN.

Perlegi J. S. Apl.
Gz.


Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Section of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Section of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VIBI VERO DOMINE JESU CHRISTE
QUI SOLUS PATERIS TUO SANGVINE IN VASTO
ANILAS MORTRAS, SID OUM PATRE ET NI
NIT SANCTO PAOS ET GLORIA IN
SECUA SECUORUM





Farbkarte #13

B.I.G.

CO THEOLOGICA XXXVIII
De

ATORIO

TIFICIO,

ntem; & tetram hujus com-
onem breviter ostendens,

Quam
uxiliante gratiâ,

ensu admodum Reverendi

ollegij Theologici in cele-

Academiâ Lipsiensi

PRÆSIDIO

ndi, Amplissimi, & Excel-

ntissimi Viri

CI HÖPFNERI,

D. & PROFESSORIS PU-

ectoralium Ephori, & Amplissimæ

p. t. DECANI, &c. Domini Præce-

oris sui ætatem observandi,

ac primâ in SS. Theologiâ laureâ

ioni ad diem 7. Septemb.

Subjicit

IUS MISNENSIS, designatus

ntendens Bischoffverdenfis.

Anno Domini 1626.

üreri, & Matthiæ Götzij Bibliop.

at Gregorius Ritsch.

Ms 102

